

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Ioannis Priorem Paraphrasi Per Des. Erasmum Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM IOANNIS
 PRIOREM
 PARAPHRASI
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

Nequē de rebus mediocribus, neque de levibus aut incompertis vobis scribimus, fratres carissimi, sed de re nova, verum ita nova nobis, ut apud Deum fuerit ab aeterno. Is est sermo Dei, Iesus Christus, idem Deus et homo, qui quum nunquam non fuerit Dei filius, nuper voluit esse virginis filius, et qui iuxta divinam naturam erat humanis oculis invisibilis, dignatus est humanum corpus assumere, dignatus est inter homines versari familiariter, ut nos ab ignorantiae nostrae tenebris subveheret ad lucem evangelicae cognitionis, et quem coram oculis corporeis conspeximus, inciperemus et mentis oculis intueri. Postulabat quidem humani cordis incredulitas, ut crassis experimentis fides adstrueretur veritati. Sed tamen illorum pietas ipsius voce praelata est, qui quum nec oculis vidissent Christum, nec manibus contrectassent, tamen certissima persuasionē crediderunt, eum esse Dei filium, et unicum humanae salutis auctorem. Nostrum est igitur, quod sensibus corporis compertissimum habemus, narrare iis, quibus videre non contigit, et tamen expe-

dit credere, quod nulli sit speranda vita, neque salus aeterna, nisi qui credat evangelicae doctrinae, cuius nos et testes sumus et praecones. Non est humanus fermo, neque levis momenti, sed divinus est et coelestis, vitam aeternam conferens iis, qui praebuerint aures morigeras, ac liberans a morte peccatorum, a quacumque religione, a quocumque vitae genere sese huc converterint. De hoc quod referimus, optima fide referimus, nimirum quod assidui sectatores nostris auribus audivimus, oculis nostris vidimus, nec vidimus tamen procul, aut in transitu, sed coram ad plenum perspeximus. Ad faciendam fidem hi duo sensus principes sunt. Atque si id quoque parum est, non solum audivimus docentem, precantem, imperantem ventis ac daemonibus, patrem non semel attestantem filio, non solum vidimus edentem miracula, morientem ac resurgentem, verum etiam hisce manibus contrectavimus. Siquidem redivivus a morte, quo plenam faceret fidem, se non esse spectrum inane, sed eundem hominem vivum, quem prius videramus mortuum, praebuit se nostris manibus contrectandum, et admotis digitis nostris, ostendit vulnerum cicatrices. Mortuum erat mortaliū genus, nimirum vitiis ac peccatis obnoxium. Ille pro nostris sceleribus dependit mortem, ut illius beneficio iam vivamus innocentiae. Diffidebamus et nos, quum mortuum, quum sepultum cerneremus, sed ille reviviscens spem certam vitae nobis attulit. Nulla erat mortalibus aeternae vitae spes, nisi ille se nostris oculis ingessisset, nisi certissimis experimentis omnem dubitationem nobis ademisset. Homo poenas luit pro nostris peccatis, sed idem Deus largitur immortalitatem ipsi fidentibus. Semper ille vivebat apud patrem, semper haec vita nobis erat per filium decreta, sed nondum erat hoc consilium orbi proditum, licet ex prophetarum oraculis id veluti per somnium exspectabat natio Iudaeorum, sed

sola. Interim regnabat mors, vita latebat. Alii spem suam fixerant in Mose, alii in mundana sapientia, sed salus ac vita omnium gentium erat Iesus Christus, sermo Dei patris, magister innocentiae, et immortalitatis largitor. Neque enim vivit, nisi qui pie vivit, neque vero mortem effugit, nisi qui consequitur immortalitatem. Is sese tandem per seipsum patefecit orbi, 3 omnibus sensibus humanis semet exhibens, atque ita infinuans sese in animos hominum. Nos autem ideo voluit esse spectatores ac testes omnium, quae gessit in terris, ut nostro praeconio cum fide divulgarentur per universum orbem terrarum, ut quemadmodum nos per Iesum sumus assequuti vitam ac salutem, si modo perseveraverimus in doctrina evangelica, ita et vos nobiscum veniatis in societatem et consortium huius salutis, si quod ab ipso non audistis neque vidistis, nostra praedicatione discitis, nostro testimonio creditis. Non sumus neque vani testes, neque ultronei. Mandavit ille, ut fidi testes essemus, et testificamur apud omnes magno capitis nostri discrimine, nec aliud, quam quod omnibus corporis sensibus habemus compertissimum. Nos felices, quibus aures et oculi fidem fecerunt, sed vos nihilo minus felices, si testibus illius fidem habueritis. Nostra fides conglutinavit nos Christo, reddiditque filios Dei ac membra Christi. Vestra quoque fides inferet vos eidem corpori, ut nobis societate fidei coniuncti constituatis unum corpus. Itaque fiet, ut non solum unanimes simus inter nos, velut unius corporis membra, verum etiam pacem ac foedus habeamus cum Iesu Christo, et per hunc cum patre illius Deo, a quo prius dissidebamus, ut quemadmodum filio cum patre summus est consensus, et omnium rerum communio, ita et nos per consensum evangelicae professionis coagmentemur in unum corpus Christi, participes futuri bonorum omnium capitis nostri. Scio vos 4 gaudere de tam felici contubernio, sed haec scripto

refrigo vobis, quo plenius etiam gaudeatis, si non sibi quisque tantum de sua salute gratuletur, sed omnium felicitas singulos afficiat voluptate. Facit enim hoc christiana caritas, ut quisque de bonis alienis non secus gaudeat, ac de suis. Quo pluribus erit communis haec felicitas, hoc erit ubetius singulorum gaudium. Inter nos non constabit unanimitas, nisi adsit glutinum mutuae caritatis. Cum Deo pacem habere non possumus, nisi capiti nostro Iesu Christo respondeamus. Quidquid habet ille, patri fert acceptum. Nos quidquid habemus, Christo feramus acceptum oportet. Christus lux est vera a patre lucis omnis proficiscens. Nos esse Christi membra non possumus, nisi lucidi simus, nec lucem habere possumus, nisi in illum transformemur, et in illius consortio iugiter perseveremus. Veritas et innocentia lux est animi, peccata pravaeque cupiditates tenebrae sunt. Ubi lux est, ibi vita est, ubi tenebrae sunt, ibi mors est. **5** Quid igitur est, quod vobis annuntiamus, quo plenius gaudeatis? Nimirum hoc est, quod ab ipso etiam audivimus, et auditum vobis communicamus, quod Deus, quia totus ac sua natura bonus est, totus sapiens, totus purus, totus etiam lux est et vita, neque quidquam est in illo tenebrarum. In nobis non itidem est, sed ex nobis ipsis multum habemus caliginis. Si quid habemus lucis, hoc totum illi debemus, cuius gratuita benignitate liberati sumus a pristinis peccatis, liberati ab ignorantiae prioris tenebris, per evangelicam doctrinam didicimus pie vivere ad Christi capitis exemplum. **6** Si quis gloriatur, se per baptismum infitum esse corpori Christi, et per hoc societatem habere cum Deo patre, quum interim versetur adhuc in erroribus ac vitiis vitae pristinae, plane mentitur. Etenim quum, ut dixi, Deus absit ab omni consortio tenebrarum, qui potest cum hoc ullum habere commercium, qui totus adhuc versetur in errore, vitiisque pristinis? Errat enim tota via, qui se pu-

tat innocentiam assequi posse, nisi per Christum. Er-
 rat rursus, qui satis esse putat baptismo lotum esse, ni-
 si per innocentiam vitae professioni suae respondeat.
 Errat qui hoc sentit, mentitur qui dicit. Christus au-
 tem veritas est, cui nihil commune cum mendacibus.
 Primus ad lucem gradus est, agnoscere suas tenebras,
 primus ad innocentiam profectus, agnoscere sua pec-
 cata. Vultis igitur audire, quo argumento cognosce- 7
 re possimus, nobis esse verum cum Deo consortium?
 Nimirum hoc, si quemadmodum ille lux est, omnis
 caliginis expers, ita nos ad exemplum illius ab omni-
 um errorum ac vitiorum tenebris abstinebimus, ad lu-
 cem evangelicam vitam omnem attemperantes, et si
 quemadmodum filius summam habet concordiam cum
 patre, ita et nos innocenter viventes unanimes simus
 inter nos. Non imputabit nobis pater veteris vitae
 commissa, quae semel abolita sunt univ[er]sa pretioso
 sanguine filii ipsius Iesu Christi, si modo nos in reli-
 quum ab omni peccato temperemus, quod quidem in
 nobis est. Omnes sordes abluit sanguis Christi, et ab
 omnibus abluit, sed non abluit, nisi agnoscentes sua
 mala. Quod si negaverimus nos obnoxios esse peccato, 8
 nos ipsos fallimus, in errore versamur, in tenebris agi-
 mus, et Christus qui lux est, qui veritas est, in nobis
 non est. Etenim si vere in nobis esset, discuteret hanc
 arrogantis ignorantiae caliginem. Quod si post acce-
 ptum baptismum continget in aliquam culpam ex infir-
 mitate humana relabi, lucemque nostram ceu nebula
 quaequam obscurarit: Cavendum est, ne nos arrogan-
 tia longius ac longius semotos a luce reducat ad pristi-
 nas tenebras, sed adnitendum, ut per modestiam ad-
 moveamur luci, caliginem ornem dispulsurae. Si 9
 quid obiter deliquerit frater in fratrem, alter alteri con-
 donet offensam, ut Deus vicissim condonet illis, quae
 in ipsum admittuntur. Siquidem hac lege Deus pol-
 licitus est nobis se remissurum, quidquid in illum deli-

quimus, si fraterni delicti gratiam faciamus, ad extremum usque quadrantem debitum exigens ab eo, qui domini clementiam expertus, se parum clementem praebuerat in conservum, videlicet eum indignum iudicans divina misericordia, quum is semel gratis universa commissa condonarit, qui levem offensam condonare recuset ei, in quem ipse quotidie vel peccet, vel peccare possit. Facile ignoscet delinquenti, qui repetet, quam multis modis ipse delinquat et in Deum, et in proximum. Atque ut difficillimum est homini praestare, ne quid peccet: Ita facillimum est mederi delictis huiusmodi mutua condonatione. Ignosce tu proximo, et proximus vicissim ignoscet tibi, et utrique velut ex pacto ignoscet Deus. De his loquor erratis, quae et inter bonos incidunt, sed homines tamen, quaeque lucem evangelicae veritatis offuscant magis, quam extinguunt. Nam Deus avertat, ut homicidium, aut adulterium, aut sacrilegium incidat in vitam eorum, qui semel cooptati sunt inter filios Dei. Nihil autem magis invitat Dei misericordiam, et mitigat iram, quam si quis apud Deum agnoscat peccatum suum. Si ferox etiam homo condonat agnoscenti delictum, quanto magis ad faciet Deus, quovis homine clementior? Natura propensus est ad misericordiam, et hac conditione nobis pollicitus est veniam: *Remittite, et remittetur vobis.* Si non ignosceret, quia bonus est, ignosceret, quia iustus est, ac bonae fidei. Tu modo praestata conditionem praescriptam, ille non obliviscetur pati. Si nos ex animo condonavimus proximo, qui nos offendit, Deus vicissim nobis condonabit, non solum unam aut alteram noxiam, sed omnia peccata, modo pro viribus admittamur, ut aliquando simus immunes ab omnibus vitiis. Id si nos ad plenum non poterimus assequi, ob humani corporis fragilitatem, ipse tamen de sua benignitate supplebit, quod deest nostris viribus, ac repurgabit nos ab omnibus commissis

fis

sis nostris, qui fortassis ob hoc ipsum patitur in nobis
residere nonnulla vestigia pristinae vitae, ut agnoscamus
imbecillitatem nostram. Siquidem plus illi placet pec-
cator sibi displicens, quam iustus sibi placens. Vult il-¹⁰
le salutem hominum suae misericordiae ferri acceptam,
non meritis nostris. Iamque testatus est, neminem esse
mortalium in terris, qui non alicubi labatur. Quod si
nos negaverimus, in nobis esse peccatum, Deum men-
dacem facimus, qui mentiri non potest, eique contra-
dicimus, cui quisquis contradicit, mentiatur oportet.

CAPUT II.

HAec scribo, filioli mei, non ut paratae clementiae
fiducia peccetur licentius, sed ne quis omnino peccet,
quantum in nobis est. Posteaquam Christus semel no-
bis omnia commissa condonavit, huc oportet omnibus
studiis eniti, ut innocentiam servemus illibatam. Et
tamen si fors evenerit, ut relabamur in aliquod pecca-
tum, non est quod desperemus de venia. Deum habe-
mus exorabilem, et apud hunc habemus patronum
amantem ac fidum, qui nihil non impetrat a patre fi-
lius, ac nobis ex animo bene vult, qui semet ipsum
impendit servandis nobis, modo nobis ipsi penitus at-
que ex imis praecordiis displicuerimus, et rursus ad me-
liora nitamur. Solus ille non habet quod ipsi condo-²
netur, et interpellat pro peccatis membrorum suorum,
ac patrem offensum nobis reconciliat, propitiumque
reddit, neque nobis solum, qui iam illius doctrinam
sumus amplexi, sed universo mortalium generi, si mo-
do pectore sincero sese peccatores esse fateantur, et in-
nocentis vitae propositum suscipiant, susceptum urge-
ant, ac mordicus retineant. Non enim ideo nos li-³
berat baptismus ab observatione mosaicae legis, ut in
posterum impune peccemus, sed ut tenacius adhaerea-

mus evangelicae caritati, quae plus impetrat a volentibus, quam extorquent tot Mosi leges ab invitis. Multa compendio praecepit, qui praecepit caritatem erga proximos, qualem ipse praestitit nobis. Non adigit ad se redamandum, sed invitat, sed provocat, sed inflammat. Quisquis vere Deum novit, non potest illum non vehementer amare. Nec enim quisquis Deum ore profiteretur, Deum novit, sed qui caritatis evangelicae flamma succensus, volens ac lubens praestat, quod ille prior praestitit, ut et inimicis beneficiamus, ut pro salute proximi non dubitemus vitae subire discrimen, is se declarat nosse Deum. Quod si quis iacet

4 se nosse Deum ob hoc, quod catechumenus didicerit mysteria fidei, quod baptizatus illius nomen professus sit, nec interim imitatur illius caritatem, is mendax est, nec adhuc Deum plene didicit, qui non cognoscitur, nisi fidem imbuat caritas. Quisquis autem mentitur, in hoc non inhabitat Christus, qui est ipsa veritas, et quisquis hunc non habet in se manentem, non est vivum membrum corporis eius. Fides absque caritate res est inanis ac mortua. Porro caritas otiosa non est, nihil omittit eorum, quae novit esse grata ei, quem amat. Christus negavit se agniturum discipulum, qui sublata cruce se non sequeretur, perfectae caritatis vestigiis ingredientem.

5 Huius igitur sermonem qui servat, is ipsa re declarat, se tenere perfectam, vereque evangelicam caritatem. Hoc experimento cognoscemus, quod in illius corpore sumus, quod illius spiritum hausimus. Quid tu te iactas ut Christi membrum, quod per baptismum receptus es in gregem christianorum? Non est otiosa, non est delicata professio. Non professio facit verum Christi membrum, sed imitatio.

6 Qui profitetur ore, se renatum in Christo, debet illius vestigiis ingredi. Non vixit i se sibi, non sibi mortuus est, totum se nobis impendit, in omnes beneficus fuit, nulli recessit convivium, sed in cruce fixus,

pro iis, qui probra congeriebant in ipsum, patrem deprecatus est. Haec est iam evangelica perfectaue caritas, quam factis oportet aemulari, qui se profitentur Christi discipulos. Carissimi, non est novum hoc 7
 praeceptum de caritate, quod scribo vobis, sed iam olim hoc prodidit lex mosaica, vel per hanc potius Christus, qui suum praeceptum renovavit in evangelio, et sic renovavit, ut illud peculiariter suum faceret. Hoc inquam, est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Neque novum est igitur, neque meum praeceptum, quod nunc trado vobis, neque vobis hactenus inauditum, sed hoc ipsum est, quod vobis in ipso statim initio tradidimus ex auctoritate Christi. Sed 8
 idem rursus novum est, quod nunc scribo vobis. Vetus erat, sed antiquatum moribus hominum. Judaei memoriter tenebant: Diliges dominum Deum tuum, diliges proximum tuum, sed suo quisque compendio serviebant. Christus hoc nobis renovavit, plus etiam nos diligens quam se ipsum, et diligens non proximos, sed hostes, sed aversos ac malo dignos. Id tamen scio vobis quondam auditum, tamen crebra iteratione subinde renovandum, ut altius infideat animo, quod est evangelicae professionis caput. Verum erat praeceptum hoc in Christo, qui quod docuit praestitit, sed verum non erat in vobis, donec laborabatis odio proximi, donec convitium convitio, iniuriam iniuria pensabatis. Nunc et in vobis verum est, posteaquam exorta vera lux evangelicae doctrinae dispulit tenebras vitae prioris, docuitque non esse Deo gratum, nisi qui bonos amaret ob Christum, et malos diligeret in hoc, ut converterentur ad Christum. Hanc doctrinam qui 9
 sequuntur, in luce ambulant, nec offendunt in tenebris malarum cupiditatum. Odium proximi, caliginem offundit animo. Proinde qui sic lotus est ac professus Christum, ut non desierit odisse fratrem suum, is falso se credit in luce versari, quum adhuc sit in te-

nebris. Neque enim huic Deus remittit peccata, qui non remittit fratri suo. Neque enim satis est reliquisse furtum, adulterium, et homicidium in baptismo, nisi simul ex animo revellatur omnis simultas, et in odii

10 locum succedat caritas. Qui perseverat in amore proximi, is manet in luce, qui est Christus Iesus, nec impingit velut in tenebris ambulans, nam adeo neminem laedit vera caritas, ut omnia sufferat, omnia veritat in bonum. Rursus qui odit fratrem, etiamsi desit immolare simulachris, etiamsi desit esse foenerator aut sacrilegus, tamen adhuc in tenebris est, et observiens caecae cupiditati, in tenebris ambulat, neque cernit rectam viam ad salutem, quamquam illi praeleceat evangelium. In causa est, odii fraterni caligo excaecavit oculos eius. Ubi regnat odium, ibi caecum est iudicium. Ego vos omnes materna caritate prosequor, et ob id scribo, partim gratulans felicitati vestrae, partim adhortans, ut ad meliora proficiatis. Omnibus vobis gratulor ut carissimis filiis, quos per semen evangelicae doctrinae regenui Christo, quia vobis condonata sunt peccata vitae superioris, et gratis condonata sunt, non ob aliud, nisi quod professi estis nomen domini Iesu Christi, ut memineritis huius exemplo gratis item condonare suo quisque proximo. Scribo vobis, quos non tam aetatis progressus, quam morum gravitas, et erga iuniores pia sollicitudo patrum vocabulo dignos reddidit, gratulans vobis, quod non solum vulgari prudentia praediti sitis, qua senes ob usum rerum fere commendantur, et imperitis iuvenibus rectius consulunt, sed quod cognovistis Iesum Christum salutis auctorem, qui non solum longaevus est, verum etiam semper fuit apud patrem. Aeternum novistis longaevi, et quo plenius hunc nostis, hoc diligentius eum praedicatis aetati rudiori. Multa vetera meminerunt ac tenent senes, vos eum tenetis, qui fuit ante tempus omne. Scribo vobis adolescentes, qui vigore fidei superastis satanam improbum et importunum. Vulgus iuvenum hoc

videtur felix, quod robore corporis nemini facile cedant. Vos feliciores, qui robore mentis, nec voluptatum illecebris, nec ullis mundi terroribus poteritis superari. Aliorum virtus emicat in bello, vestra virtus clarius emicuit adversus insultus daemonum, carnis et mundi. Scribo vobis pueri, qui tametsi per¹⁴ aetatem nondum sapitis peritia rerum mundanarum, tamen hoc iam nunc estis assequuti, quod vobis aeternam conciliat felicitatem. In aliis infantibus primum mentis specimen est, si patrem agnoscant. Vos novistis patrem coelestem, per quem estis coelo renati. Tueatur quisquis quod habet, et proficiat in eo quod habet. Ob hanc causam et gratulor singulis, et commonefacio singulos ordines aetatus, ut agnoscentes felicitatem vestram, agatis gratias auctori Deo, et memores, quo pervenire oporteat, semper enitami ad perfectiora. Repetam igitur, ne queat elabi. Scripsi vobis patres, quia nostis eum, qui nec initium habet, nec finem, ne quid vos commoveat huius vitae desiderium, ad aeternam properantes vitam. Scripsi vobis adolescentes, quod mollitiem aetatis animi robore superastis, quodque constanti pectore sermonem evangelicum servastis, et opitulante Christo superastis diabolum pervicacem humani generis hostem. Perseverate in victoria, pergite contemnere, quod haecenus contemistis, magis ac magis amate, quod amare coepistis. Sollicitat mundus falsis bono-¹⁵ rum fluxorum simulachris, territat inani falsaque specie malorum. Vos ea terreant, quae vere mala sunt, nec unquam finem accipiunt, ea capiant, quae vere bona sunt, et finem nesciunt. Lucem evangelicam sequentes amate coelestia, quae pollicetur coelestis ille pater, cui per Christum estis renati. Fugite tenebras malarum cupiditatum, per quas mundus hic inescat fucatis bonis. Fieri non potest, ut utrumque simul ametis, utrique simul serviatis. Nihil convenit Deo¹⁶ cum mundo, nihil luci cum tenebris. Quisquis amat

mundum, excidit a caritate Dei patris. Non hunc mundum dico, cuius opifex est Deus, in quo velimus nolimus vivimus. Improbas cupiditates rerum inanium, in quibus hominum vulgus constituit felicitatem, verorum bonorum oblitus, mundum appello. Non vos locus quamlibet semotus, non vos cultus, non cibus, non vos titulus eximit a mundo, sed animus purus ab his, quas dixi, cupiditatibus. Quid autem habet hic mundus, quod non sit exitiabile? Tria sunt, quibus potissimum imponit stultis et incautis, voluptas carnis, irritamenta oculorum, et fastus strepitusque vitae. Obiicit enim praestigias quasdam inanium voluptatum, quibus ad tempus corporis sensus demulceat, ut interim animus a coelestium bonorum studio avocetur. Nam huiusmodi bonorum cupiditates suggerit spiritus ille coelestis, quem Deus pater impartit filiis suis vere per Christum renatis. Habet et fatanas suum spiritum, per quem suggerit perniciosum amorem rerum, neque verarum, neque perennium, qui sese huic mundo devoverunt. Suggesti veneris mala gaudia, quae stulta foedaque prurigne membra corporis titillent. Suggesti eduliorum ac potus cupedias, quae gulae palatoque blandiantur. Suggesti otii somnique dulcedinem, quo magis fitu torpescat animus. Suggesti lascivas cantiones, et impudicas fabulas, quibus aures deliniant. Suggesti formarum illecebras, et varia spectaculorum genera, quibus oculos oblectet. Suggesti honorum pompas, ac divitiarum strepitus, ambitionis irritamenta. Denique nulla non parte mentes hominum a veris aeternisque bonis avocat ad inania bonorum simulachra. Horum cupiditate qui capitur, sciat se non ¹⁷incitari spiritu patris coelestis, sed spiritu mundi. Mundus ut constat elementis temporariis, ita nihil praebet, nisi mox perituum. Deus ut est aeternus, ita largitur aeterna praemia. Ergo qui pendet a mundi praefidiis, evanidam quamdam ac mox auferendam felici-

tatem sectatur, quam frequenter et hic aufert casus praeter opinionem exortus, aut senium eripit. Certe mors nulli non ventura, tollit totum illud falsorum gaudiorum somnium. Subducta materia perit voluptas, et succedunt dolores. Sublato homine pereunt omnia, et succedit cruciatus aeternus. Caeterum qui patri obtemperat, vocanti ad amorem vitae coelestis, huius felicitas nullum est habitura finem. Nescit enim finem, qui illam largitur. Innoxiiis huius mundi commodis utendum pro tempore, sed parce, sed moderate, ad necessitatem naturae, non ad voluptatem libidinis. Caeterum summum animi studium ad res aeternas vertendum est, ad quod etiam oportet referri caeterarum rerum usum. Nondum apparet piorum felicitas, sed ea patefiet in adventu domini nostri Iesu Christi. ¹⁸ Videntur interim hic suaviter agere impii, sed imminet illis aeterna calamitas, idque brevi. Videtur enim adesse tempus illud extremum, quo mutatis rerum vicibus, cum Christo regnabunt ii, qui nunc ob Christum affliguntur, ac ad nihilum redigentur, qui nunc Christo rebellant. Audistis venturum antichristum, qui omnibus huius mundi praesidiis ac praestigiis armatus, belligeretur adversus Christum, moxque antichristo victo liberabitur omnibus malis corpus Christi, et onerabuntur omnibus malis membra diaboli. Huius igitur antichristi adventus, de quo vobis praedictum est ab apostolis, haud longe videtur abesse. In tantum enim invaluit hic mundus adversus doctrinam evangelicam, ut iam nunc complures esse coeperint, qui vocabulum antichristi mereantur, quorum et vita et doctrina, et studium omne Christo adversetur. Quid enim aliud hi, quam antichristi illius anteambulones videntur, et venturae tempestatis extrema praeludia? Minus enim laedunt Christi populum, qui prorsus a Christo sunt alieni, quam hi, qui semel in illius castris versati, mox transfugae facti, Christi praesidiis et armis Chri-

stum oppugnant. Simulant enim etiam ea, quae in christianis declarant Christi virtutem, sanctimoniam, 19 doctrinam, auctoritatem, miracula. Atque hi quidem exierunt e nobis, verum nihil est quod nos magnopere perturbent. Versabantur inter nos, sed nostri non erant. Hostes erant Christi, etiam quum in illius castris agebant. Quod si vere nostrarum fuissent partium, perpetuo perseverassent apud nos. Titulo cultuque Christum profitebantur, caeterum animo mundum adamabant. Et idcirco quum ventum est ad tempestates persecutionum, quum ad incendium afflictionum, prodidere semet quales antea fuissent. Nunc a nobis semoti sublevant nos, veluti corpus gravatum malis humoribus, ac minus laedent hostes aperti, quam fucati focii. Sic visum est Christo, quo palam fiat, non omnes pertinere ad Christi corpus, qui loti sunt in illius nomine, qui nomine illum profitentur, qui sacramentis ecclesiae communicant. Verus ac constans mundi contemptus arguit christianum. Animus adversus omnes illecebras, adversus omnes iniurias infractus et invictus arguit christianum. Qui ad occasionem desciscit a doctrina Christi, simulabat christianum, non 20 erat. Expediit autem hos palam a nobis seiungi, ne specie boni magis etiam noceant incautis, etiam si vobis ignoti non erant, et antequam se palam subducerent. Siquidem unctio Christi, unde et vobis est nomen, afflatus spiritus Christi satis indicat vobis, qui sint vere christiani, qui secus. Etenim qui spiritualis est, omnia diiudicat. Non erant ignoti, sed tolera- 21 bantur, si forte resipiscerent. Quod dico verum est, neque haec scribo vobis, quasi vos latuerit veritas, qui doctorem habetis Christi spiritum, qui non patitur vos quidquam ignorare, sed in memoriam revoco, quod scitis, quo fixius adhaereatis veritati, neque perturbemini successu malorum. Pauciores estis, sed saniores, sed purgatiores, sed tranquilliores. Nihil decessit cor-

pori, si resecta est vomica, si pus exstillavit. Scitis quod Christus est veritas, ab hoc dissidet omne mendacii genus. Quisquis fucatus est, cum hoc nihil habet commercii, quantumvis illum ore profiteatur. Multae sunt mendaciorum formae. Quisquis quocum-²²que modo mendax est, Christum negat, qui veritas est, nullius mendacii mixturam recipiens. Quisquis adversatur veritati, Christo adversatur, quisquis adversatur Christo, antichristus est. Nullum autem sceleratius mendacii genus est, quam negare Iesum esse Christum, atque id faciunt multi pseudoprophetae Iudaeorum, qui negant illum fuisse, quem Moses et prophetarum oracula iam olim mundo pollicita sunt vindicem ac salutis auctorem, et alium nescio quem antichristum pro Christo promittunt. Nimirum quisquis est huiusmodi, palam est antichristus. Rursus sunt, qui licet ore profiteantur, Iesum esse Christum, tamen sic vivunt, quasi vana sit eius doctrina, quasi vana sint praemia, quae promittit. Ille docuit, beatos esse pauperes spiritu, quod eos maneat regnum coelorum. Et alius huc toto incumbens studio, ut dilatet latifundia, ut exstruat magnificas aedes, ut augeat reditus, ut expleat arcas nummis per fas nefasque quaesitis, ut factione valeat, ut inopes opprimat, ut tyrannidem exerceat, an non reclamat Christo, cuius doctrinam, quod in ipso est, mendacem facit? Docet ille, beatos esse qui esuriunt et sitiunt iustitiam, et alius in luxu, in gulae ventrisque voluptatibus felicitatem ponens, nonne Christo refragatur? Docet ille, beatos esse mites, quod si possessuri sunt terram illam coelestem, unde rursus depelli non poterunt. Et alius ita se denique felicem iudicat, si pauperibus oppressis suam stabiliat opulentiam. Docet, beatos esse qui lugent in hoc mundo, quod his debeat aeterna refocillatio, et alius per omnia sectans huius vitae delicias, nonne Christo refragatur? Docet ille, beatos qui misericordes sunt in proximos.

Et hic sibi placet, quod malis ultro affligit meliorem se. Docet ille, beatos qui convitiis et afflictionibus ventur ob iustitiam evangelicam. Et hic omni fucorum ac technarum genere studet placere mundo. Agnoscit ille discipulum, qui sublata in humeros cruce sequatur ipsum. Et alius nihilominus sibi christianus videtur, si omnem effugerit molestiam. Dicit ille suis: In mundo cruciatum habebitis, in me pacem habebitis. Et istis Christus gravis est, mundus suavis. Iubet ille benemereri etiam de inimico. Et alius etiam immerentem afficit iniuria. Nonne qui sic vivit, Christo refragatur? Non reclamatur os, sed reclamatur vita. Quum diversa doceret filius, pater dixit, hunc audite. Ite vero quid dicit? Non hunc audite, dura sunt quae docet, mundum audite. Proinde quemadmodum obstitit filio, ita repugnat et patri, et dum mundanae factionis est, semovet se a grege eorum, quos Christus selegit ab hoc mundo. Nihil Christo commercii cum hoc mundo, huic qui sese adglutinat, Christo repugnat, et antichristum agit, simul et patrem abnegans et filium. Siquidem patri cum filio individua societas est. Hic mihi reclamabit Judaeus: Patrem agnosco, ²³filium non agnosco. Atqui quidquid in filium commiseris, idem commiseris in patrem. Filius nihil neque gessit, neque docuit, nisi auctore patre. Qui filio derogat, derogat patri. Ergo qui se alienavit a filii consortio, is nec ad Christi corpus pertinet, quod est ecclesia catholica, nec cum patre Deo consortium habet, cui per omnia convenit cum filio. Videtis quanto cum periculo se stulti divellunt a filio. Vos igitur ²⁴perseverate in evangelica veritate, quam a probatis apostolis primum accepistis. Ne vos abducat pseudapostolorum mendax oratio. Si perstiteritis in eo, quod primum tradidimus vobis, permanebitis in consortio Dei patris, ac filii eius Iesu. ²⁵Si cui durum videtur, perseverare in evangelica professione propter as-

fictiones impiorum, cogitate praemium. Rem arduam exigit Deus, sed ingens est praemium, quod pollicetur. Neque enim pollicetur opes, aut regnum, aut voluptatem huius mundi, sed vitam aeternam. Id parvo emit, quisquis emit etiam vitae dispendio. Haec²⁶ tot verbis refrico et inculco vobis, sollicitus ne quos forte seducant praestigiis suis impii, qui a Christo desciverunt. Quamquam vel citra nostram commonitionem²⁷ satis, ut arbitror, docet vos ipse spiritus Christi, quem habetis assiduum monitorem ac doctorem in cordibus vestris. Is quam diu perseverat in vobis, non est necesse, ut quisquam vos doceat, quid sit cavendum. Is doctor est arcanus, sed longe certissimus. Is semel a vobis haustus, docet vos de omnibus, quemadmodum et filius promisit. Siquidem natura verax est spiritus, neque mentiri novit. Proinde perseveretis in²⁸ eo, quod ille vos semel docuit. Tenetis rectam doctrinam, meministis, nihil superest, nisi ut in ea persistatis usque ad adventum Christi, quem coniicio non procul abesse. Iterum atque iterum rogo, filioli, persistite in doctrina spiritus, ut quum apparuerit princeps ac index ille noster, bonae vitae conscientia nobis tribuat fiduciam apud illum, talesque prodeamus, ut nec illum pudeat, nos agnoscere suos discipulos, neque nos pudeat, in conspectum illius venire. Nam quo ore compellabimus eum praeceptorem ac dominum, si nec docenti auscultavimus, nec praecipienti paruimus? Quo ore Deum appellabimus patrem, si tota vita degeneres fuerimus ab illius institutis? Non simplex baptismus, sed servata iustitia facit nos filios Dei. Quid enim audituri sunt, qui in nomine Iesu eiecerunt daemonia, qui praedixere futura, qui miraculis inclaruerunt? *Nescio vos.* Pro alienis ducit, in quibus non videt iustitiam evangelicam. Quod si vobis persuasum est,²⁹ Deum esse huius iustitiae auctorem, simul et illud scitote, quod quisquis non professione, sed studiis, fa-

etis ac moribus praestat iustitiam evangelicam, ex Deo natus est, ad quem sibi bene conscius poterit ea fiducia accedere, qua solent obedientes filii ad patrem propitium. Similes agnoscet, dissimiles non agnoscet.

CAPUT III.

1 **U**bi sincera caritas est, ibi fiducia est, et metus abest. Videte igitur, nobis, qui contempto mundo cum suis et illectamentis et terriculamentis perseveramus in evangelica doctrina, quam insignem dederit caritatem, ut non solum servi fideles, non solum amici, sed filii Dei et nominemur, et simus. Sic enim docuit Christus, ut coelestem patrem appellemus, si qua re sit nobis opus. Summus est honos, appellari filios Dei. Summa felicitas est, esse filios Dei. Huic quoniam constanti pietate adhaeremus, et ab illo agnoscimur, mundus nos non agnoscit, sed ut diversae factionis horret et execratur. Nec mirum si non agnoscit filios Dei, quum Deum ipsum non agnoscat, abnegans illius filium Iesum. Ne quid perturbet animos vestros, carissimi, quod vos habet despicabiles et abiectos. **2** Apud Deum habemus etiam nunc hanc eximiam dignitatem, quod sumus filii Dei, et gaudemus in sinu, sentientes in nobis spiritum non servitutis, sed filiorum, cuius fiducia clamamus, abba pater. Adest dignitas, sed nondum apparuit dignitas. Adhuc pugnae tempus est, nondum venit dies triumphi, ille declarabit universis, quanta sit dignitas, quanta felicitas eorum, qui constanter sese praebuerint filios Dei. Nondum eluxit, quod sumus futuri in adventu Christi, verum illud certa spe tenemus, simul atque apparuerit ille, redditurus cuique pro suis factis praemia, nos qui fuimus hic consortes afflictionum, erimus et gaudiorum socii, quique fuimus illi similes in mundi contemptu, erimus eidem similes in maiestate gloriae. Vidimus hic illum affli-

tum, vidimus humilem, tunc videbimus sicuti est,
 et semper fuit, excelsum, ac sublimem, et videntes
 ad illius similitudinem transformabimur et ipsi, non
 solum animis, verum etiam corporibus. Videmus et
 nunc illum, sed veluti per nebulam oculis fidei, tunc
 ineffabili modo videbimus. Sed quod tunc futuri su-
 mus perfecte, id nunc interim pro nostra virili medi-
 tandum est. Ut illi tunc similes simus in gloria, hic
 puri simus ab omnibus sordibus. Ut illum tunc videre
 possimus, nunc purgemus oculos, ne quum ille splen-
 didus apparuerit, nobis tamen formidabilis sit magis
 quam amabilis. Nec enim feliciter videtur, nisi a si- 3
 milibus. Proinde quisquis habet hanc fiduciam in Chri-
 sto, ut tunc confors sit illius gloriae, interim piis stu-
 diis purificat se a mundanis affectibus, quemadmodum
 in illo nihil erat inquinamentorum huius mundi, sed
 totus purus est ac coelestis. Itaque pro nostris viribus
 huc entendum est, ne quid in nobis resideat terrenae
 fecis. Nec vero sibi quisquam blandiatur, dicens: 4
 Mibi satis est ad innocentiam, si nihil horum admise-
 ro, quae lex Mosi vetat, quaeque Caesaris etiam legibus
 puniuntur, quod genus sunt, furtum, sacrilegium,
 adulterium, homicidium. Imo prorsus omne peccati
 genus est fugiendum. Quisquis enim ullo modo pec-
 cat, etiam si non peccet adversus praescripta mosaica,
 peccat tamen adversus legem evangelicam, mosaica
 longe sanctiorem. Atque hanc ob causam Christus se- 5
 mel venit in mundum, ut viam ostenderet, qua reditus
 illius nobis fieret salutaris ac felix, venit, ut semel tol-
 leret non unum aut alterum peccatum, sed omnia pec-
 cata nostra, quum ille solus nulli peccato esset obno-
 xius. Semel nos gratis purgavit ab omni peccato, ut 6
 sui similes redderet, quod nec lex ulla, nec mortalis
 ullus praestare poterat. Per baptismum insiti sumus
 illius sacrosancto corpori, sed nostrum interim est ad-
 niti, ne excidamus a capite. Per gratuitam illius cle-

mentiam infiti sumus, sed excidemus, si in pristina vitia relapsi fuerimus. Quisquis in Christo manet, perseverat in innocentia, et adeo cavet ab omni peccato, ut in dies magis ac magis adolescat in virtutibus, redaturque capiti suo similior. Quisquis non abstinet a peccatis, quamquam tinctus est, quamquam dedit nomen Christo, nonadum plene vidit eum, neque novit eum. Quis enim si oculis fidei videret, quanta sit dignitas, cooptari in numerum filiorum Dei, quanta turpitudine, dedi patri diabolo, sustineat a tali corpore avelli, a tali desciscere patre, et ad tam foedam degenerare tyrannidem, a tantis praemiis ultro prolabi ad tantam calamitatem? Filioli, ne quis vos seducat, blandiens vobis de professione christiani nominis, quasi id satis sit ad felicitatem. Non qui profiteretur iustitiam, iustus est, sed qui vita ac moribus praestat iustitiam, is iustus est, quemadmodum et Christus se dictis ac factis praebuit exemplum omnis iustitiae. Huic qui vere ac totus adhaeret, quoad potest ab omni vitiorum inquinamento temperat, et ipsa morum puritas arguit illum esse filium Dei, qui natura bonus est, et peccatum nescit. Quisquis autem peccat, etiamsi Christi sacramentis est initiatus, tamen e patre diabolo progenitus est, qui princeps est et auctor omnis peccati. Hunc quisquis imitatur, parentem suum refert hoc ipso, quod peccat, seque filium illius esse declarat. Non admittit Deus consortium cum vitiis. Nam in hoc ipsum misit filium in hunc mundum, ut aboleat opera diaboli, hoc est, omnia quae pugnant cum evangelica caritate. Ex Adam nascimur omnes obnoxii peccatis. Ex Deo renascimur per semen evangelicae doctrinae. Huius seminis vis quam diu manet in homine, non peccat, nec potest peccare, videlicet vetante divina caritate, quae rapit eum ad studium benefaciendi, et avocat ab omni cupiditate peccandi, eo quod vere sit filius Dei, germane referens indolem atque ingenium patris et capitis

sui. Non titulus, non baptismus, non sacramenta di-10
 scernunt filios Dei a filiis diaboli, sed vitae puritas, sed
 caritas exserens et explicans sese benefactis. Non est
 otiosa si adsit. Quisquis hanc non declarat, nec re de-
 clarat sibi carum esse fratrem, is ex Deo natus non est.
 Si vivum esset membrum corporis Christi, diligeret cae-11
 tera membra, pro quibus mortuus est Christus. Haec est
 christianae iustitiae summa. Hoc est, quod in primis
 nobis tradidit Christus. Hoc est, quod vobis ante omnia
 commendavimus, ut mutua caritate declaretis, vos esse
 filios Dei, ac discipulos Christi. Siquidem odium pro-12
 ximi, gradus est ad homicidium. Et livor ex diame-
 tro pugnat cum caritate. Cain non erat filius Dei, sed
 ex diabolo prognatus erat. Quamobrem? Quia dege-
 neravit a bono conditore, ac referebat diabolum, qui
 stimulus invidia primus occiderat hominem instinctu
 lethifero. Parentis ingenium referebat Cain, occidens
 Abel fratrem suum. Quae fuit autem odii causa? Ni-
 mirum vitae dissimilitudo, quapropter et diversi gene-
 ris erant, quamquam iuxta corporis propagationem
 fratres erant germani. Uterque suum parentem expri-
 mebat. Abel erat innocens, et ad benefaciendi studi-
 um accensus. Cain contra fratris odio concepto, non
 de se corrigendo, sed de fratre trucidando cogitavit.
 Quemadmodum hic non ferebat impius pius, et dia-13
 boli filius Dei filium: Ita vobis mirum videri non debet,
 fratres, si vos averfantur homines mundo dediti. Ode-14
 runt immerentes. Ne quis illos mutuo oderit. Illi quo-
 niam morti devoti sunt, et serviunt auctori mortis,
 mortem aliis machinantur, nostrum est illorum mise-
 reri, non vicissim laedere. Siquidem evangelica ca-
 ritas nos abduxit a studio laedendi ad studium beneme-
 rendi, et hoc argumento cognoscimus, quod destina-
 ti sumus aeternae vitae, et exempti a mortis tyrannide,
 quod diligimus fratres. Qui diligit, bene vult, ac be-
 ne facit. Corpus halitu vivit, anima vivit spiritu

Christi. Ubi non est fraterna caritas, ibi non est spi-
 15 ritus Christi. Quisquis igitur odit proximum suum,
 mortuus est, neque vivit intus. Nam etsi fidem
 habet, mortuam habet, quum non adsit cari-
 tas. An ceu levem culpam contemnitis odium
 fratris? Quisquis odit fratrem suum, homicida est.
 Non strinxit ferrum, non miscuit venenum, non ador-
 tus est, non maledixit, tantum male voluit. Non
 damnat illam lex hominum homicidii, sed apud Deum
 iam homicidii damnatus est. Qui semel admisit odi-
 um in pectus, quantum in ipso est, homicida est.
 Multa sunt homicidii genera. Qui ferro trucidat, etiam
 profanis legibus dat poenas. Qui veneno necat, pu-
 nitur et ab impiis. Caeterum qui fratrem virulentae
 linguae spiculo confodit, etiamsi legibus humanis ab-
 solvatur a patricidii crimine, tamen ad evangelicam le-
 gem homicidii reus est. Vivit adhuc ille, cui male vult
 osor, et tamen ipse iam mortuus est, illi vita est inco-
 lumis, et hic vitam amisit aeternam, sui ipsius homi-
 16 cida. Vultis videre fratres, quantum nos abesse oportet
 a cupiditate laedendi? Vertite oculos ad exemplum
 Christi. Ille sic dilexit nos nihil meritos, imo mor-
 tem commeritos, ut vitam suam nobis impenderet.
 Quanto magis debemus pro fratribus servandis vitae sub-
 ire discrimen, si res ita tulerit, praesertim qui in
 Christi pastoris vices successimus? Non concredidit
 oves suas Petro, nisi ter amorem professo, ac mox illi
 mortis genus indicat, ut intelligeret, et sibi gregis cre-
 diti salutem vitae dispendio tuendam. An vero vitam
 impendet, qui gravatur opitulari pecunia? An satis esse
 putat aliquis, si non laedat fratrem, si benigne loqua-
 tur? Christus re declaravit, quantopere nos amaret.
 17 Qui conspiciatus fuerit fratrem suum cibo, veste, potu,
 tectove egentem, et habet facultates, unde succurrat il-
 lius inopiae, neque commovetur misericordia, sed vel-
 ut ad se non pertineat, negligit eum: Qui credi possit,
 quod

quod in hoc sit caritas Dei? Succurrit ethnicus ethnico, et tu christianus non succurris christiano? Professus es fraternam caritatem. Ea si vere adest, cur hic cessat, ubi discruciat inopia frater? Fratrem appellas, et nullum argumentum edis affectus fraterni? Filii mei, ne diligamus nos invicem verbo tenus. In¹⁸ animo sit caritas potius, quam in lingua, et factis se promat potius, quam voce. Sit fraternum vocabulum in sermone quotidiano, sed ut veri simus, et orationi facta respondeant, quoties se dederit occasio, re declarem, in nobis esse vere fraternum amorem. Ne desit fratri, quod nobis superest, sive vestem desiderabit, sive cibum, aut tectum, sive consolationem, sive doctrinam, sive admonitionem. Id si promptis animis¹⁹ praestiterimus, hoc argumento cognoscemus, quod veritatis filii simus, quodque non fucate, sed sincere diligamus. Veritas autem est ipse Christus, cuius oculis probabimus conscientiam nostram, ut et Deo probati simus, et hominibus. Et factis cognoscent homines, non esse fucatam inter nos caritatem, animi sinceritatem intuetur Deus. Succuremus egestati fraternae, sed ita, ut necessitatem sublevemus, non ut luxum alamus, et succurremus ex animo, neque mercedis ad nos rediturae spe, neque inanis gloriae causa. Animum non vi-²⁰ dent homines, sed ipse sibi conscius est, et oculis Dei conspicuus. Quod si laudent nos homines, et condemnet animus sibi male conscius, ut homines fallamus, Dei iudicium non licebit effugere. Abditos habet recessus ac perplexas latebras cor humanum, sed nihil esse potest tam reconditum, tamque abstrusum, quod ille non penetret. Novit ille omnia melius nobis, novit cor nostrum, qui fecit cor nostrum. Nusquam²¹ non habet oculos, qui nusquam non adest. Carissimi, si cor nostrum non condemnaverit nos ipsos apud Deum, si sincerus est ac simplex animus, si ex mera puraque caritate facimus, quidquid facimus, quales nos prae-

stiterimus erga proximum, talem se Deus praestabit nobis. Si libenter et ex animo condonabimus fratri culpam, facile et nobis delicta nostra condonabit Deus.

22 Si promte largiemur egenti fratri, quoties opem nostram implorat, certa fiducia petemus et a Deo, quod ad salutem ac necessitatem pertinebit, nec ille negabit petentibus. Quod si dixerimus illi: *Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris*, et intus odio fraterno tenemur, nonne statim reclamabit nobis nostra conscientia? Qua fronte tu petis a Deo, quod ipse negas proximo? Quo ore postulas pactum, quum non praestes conditionem? Pollicitus est ille se condonaturum nobis admissa nostra, sed si fratri ex animo condonaverimus delicta sua. Si ore dicimus, condono, et tamen malevolentiam retinemus in corde, animus sibi male conscius adimet nobis fiduciam impetrandi, quod a Deo petimus. Si fratrem blande salutamus, nec adsumus quum res ipsa poscat subsidium, non est quod speremus Deum nobis auxilio futurum, qui fratri defuerimus. Si nos surdi fuerimus ad illius iussa, surdus erit ille vicissim ad preces nostras. Impudentia est, non pietas, ab eo petere favorem, cuius praecepta contempnas. Verum si praecepta eius servamus, si quidquid illi placitum est facimus, et ita facimus, ut probemur illius oculis, qui nihil non perspicit, hinc nobis nascetur impetrandi fiducia. Hic mihi dicet Iudaeus legis superstitiosus observator: Observo sabbata, baptizor, ieiuno, abstineo a cibis vetitis, non committo furtum, me Deus audiet.

23 Imo non hoc est praeceptum, de quo loquor. Quodnam igitur? Nimirum ut totam salutis nostrae spem ac fiduciam collocemus in Iesu Christo filio Dei, per quem pater nobis omnia largiri voluit. Iam ne hoc satis est? Nequaquam, quin ad illius exemplum amemus nos mutuo. Sic ille iussit, sed quod iussit, ipse prior praestitit. Nondum vere diligit Christum, qui membrum

odit Christi, nondum amat Christum, qui male vult homini, pro quo mortuus est Christus. Itaque qui ser-²⁴ varit unicum illud caritatis praeceptum, omnia servarit. Hoc glutino coniungemur Christo, sic ut ille fit in nobis, et nos vicissim in illo. Ille per spiritum suum inhabitabit pectora nostra, si illic ferveat caritas. Spiritus Christi non est auctor odii, sed largitor fraternae caritatis. Is per impositionem apostolicarum manuum infunditur baptizatis, sed idem resilit et avolat, si contingat extinguere caritatem. Hoc igitur indicio deprehendemus donum spiritus in nobis manere, quod accepimus in baptismo, si perseveraverit in nobis fraterna caritas. Quantum haec refrixerit, tantum ille se subducat.

CAPUT IV.

Indicem dedi, carissimi, quo deprehendatis, an in vobis sit Christi spiritus. Sunt enim diversi spiritus in hominibus, sed fucati, sed mali. Ne igitur protinus cuivis spiritui credatis. Multi passim se iactant habere spiritum Dei, sed explorete, num a Deo profecti sint. Habet et hic mundus suum spiritum, et adumbrat spiritum Dei. Prophetas afflat spiritus Dei, sed complures iam in mundum prodierunt pseudoprophetae, sese mentientes afflatu divini spiritus loqui, quum agantur mundano spiritu. Vultis igitur certius etiam ar-² gumentum spiritus divini? Audite profitentem, et intelligetis. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum, olim orbi promissum aeternae salutis auctorem, assumpto corpore humano iam venisse, sicuti per suos prophetas promiserat, is ex Deo est, nimirum agnos-³ cens filium Dei. Rursus hoc qui negat, quoniam mendax est, ex Deo non est. Nullus enim vere profiteretur filium, nisi afflatus a patre. Negant autem illum non

tantum ii, qui verbis reclamant, verum etiam qui sic vivunt, quasi Christus non fuerit exemplar verae pietatis hominibus, aut quasi non fuerit auctor perfectae salutis, eoque fingunt alium quæmpiam Messiam expectandum, quod huius doctrina nimium dissideat ab ipsorum cupiditatibus. Si favisset voluptatibus carnis, si promississet immensas opes, si donasset honores et imperia mundi, iamdudum agnovissent suum Messiam. Nunc quoniam horum docet contentum, et ad tollendam crucem invitat, et felicitatem omnem in futuro seculo expectandam ostendit, negant hunc esse promissum olim humani generis redemptorem, sed alterum expectari iubent, qui commoda corporis, et huius seculi bona polliceatur. Nec satis est confiteri Christum, nisi totum et integrum confiteamur. Qui dividit illum, vel divinam naturam adimens, quam eandem habet cum patre, vel humanam, quam accepit ab homine matre, hic spiritus ex Deo non est, sed est spiritus antichristi, de quo quidem spiritu iam audistis, quod venturus sit, imo iam nunc venit, agitque in his, qui mundanis delitiis addicti, pugnant adversus Christi spiritum.

4 Non est quod istos metuatis, filioli, vos quoniam ex Deo estis, et spiritum habetis, per illum vicistis antichristos. Ipsi quidem imbecilles estis, sed is qui habitat in vobis, maior est ac potentior eo, qui habitat in mundo. Per sua membra vos impugnat

5 diabolus, sed suo spiritu propugnat Deus. Illi quoniam ad mundi factionem pertinent, et mundanum hauserunt spiritum, mundum sapiunt, et mundana loquuntur, et horum doctrina grata est iis, qui et ipsi mundo dediti sunt. Nemo facile credit, quod adversatur iis, quae vehementer amat. Amant terrena, et

6 horum doctrina terram sapit. Nos ex Deo sumus, hunc qui novit, novit autem quisquis amat, auscultat nobis, qui coelestia Deoque digna docemus. Qui non est ex Deo, non audit nos, sed abhorret ab evangelica doctrina, quae iubet opes effundere, voluptates spernere,

in afflictionibus gloriari, vitam etiam habere vilem pro
 iustitia, recte factorum omne praemium expectare in
 resurrectione, quam isti aut non credunt futuram, aut
 nollent accidere, quae iubet per sinceram caritatem,
 et vitam impendere proximo, quum homo mundani
 spiritus, etiam cum fratris iniuria suis commodis ubi-
 que consulat. His igitur indiciis dignoscere licebit spi-
 ritum Dei veracem, a spiritu mundi fallaci. Itaque 7
 carissimi, quandoquidem ex Deo sumus, non ex mun-
 do, diligamus nos invicem, et proximi commodis quis-
 que serviat potius, quam suis, quoniam caritas ex Deo
 est. Quisquis igitur hac caritate praeditus est, is ex
 Deo natus est, ac vere novit Deum. Quisquis alienus 8
 est a caritate, nondum cognovit Deum, propterea quod
 ipse Deus caritas est. Ille se nobis impartit, quoties
 impartit caritatem suam. Declaravit ille suam in nos
 caritatem, ut nos vicissim nostram declararemus in pro-
 ximum. At dicet aliquis, filii caritatem agnoscimus, 9
 sed unde cognoscimus patris erga nos amorem? Nimi-
 rum ex hoc, quod unicum filium suum, quo nihil ha-
 bet carius, misit in hunc mundum, ac morti dedit,
 ut nos per illius necem vitam assequeremur aeternam.
 Atque hoc maius etiam atque insignius dilectionis mi- 10
 raculum est, quod nullo nostro officio provocatus tam
 insigniter dilexerit nos. Qui redamat amantem, tan-
 tum gratus est, inhumanus futurus, ni faciat. Nos
 amabamus mundum, aversi ab amore Dei, et tamen
 Deus prior atque ultro dilexit nos. Quumque iure es-
 set offensus peccatis nostris, nec esset in terris immu-
 nis a delictis, qui nos illi reconciliaret; nam gratio-
 sus sit oportet, qui intercedat apud offensum pro no-
 centibus, misit e coelis filium suum, qui seipsum pa-
 tri sacrificaret, atque hac purissima victima nobis eum
 propitium redderet. Quid hac dilectione cogitari po-
 test insignius, quid ardentius, quid effusius? Carissi- 11
 mi, si Deus, qui nostri non eget, ultro ac volens tan-

topere dilexit nos, debemus et nos invicem ad illius
12 exemplum diligere. Filius Dei se nobis visibilem exhibuit, caeterum Deum patrem nemo vidit unquam oculis corporeis, et tamen ex rerum indiciis deprehenditur. Sentimus iratum, sentimus propitium, sentimus abesse, sentimus adesse. Mutuum erga Deum amorem non alio argumento testari possumus, quam si nos invicem diligamus, quemadmodum ille dilexit nos. Dillexit ille nos gratis, dilexit ad hoc ut servaret. Si sic diligimus invicem, Deus qui caritas est, ut dixi, manet in nobis. Vulgaris est amor, benevolentia prosequi benemeritum, diligere qui possit referre gratiam, benevolentiam communibus officiis testari, sed perfecta est Dei erga nos dilectio. Dillexit ultro, dilexit alienos, dilexit unde ad ipsum nihil possit redire gratiae, dilexit usque ad unigeniti filii iacturam. Si nos ad consimilem modum diligimus proximum, tunc perfecta Dei caritas est in nobis, declarans, et ipsum Deum esse in nobis. Quemadmodum idem spiritus membra corporis coniungit, et unum corpus efficit: Ita spiritus Dei nos et cum illo, et invicem quodammodo
13 conglutinat necitque, et velut in unum cogit. Quod si spiritus Dei, qui mentibus nostris afflat amorem proximi, viget in nobis, nimirum hoc argumento cognoscimus, et quod nos maneamus in Deo, et Deus vicissim in nobis. Adversarius est igitur caritati, qui
14 negat Iesum esse filium Dei, qui redimendo mortalium generi semetipsum impenderit. At huius rei nos spectatores etiam fuimus, oculis vidimus, auribus audivimus, manibus contrectavimus, deque re tot modis comperta testimonium perhibemus orbi terrarum, quod pater miserit filium suum, cuius morte mundus servaretur, si modo resipiscens a pristinis erroribus, iuxta regulam evangelicam vitam deinceps attemperaret. Non enim solum misit illum servandae nationi iudaicae, sed
15 toti mundo servatorem dedit. Quisquis igitur confes-

sus fuerit Iesum esse filium Dei, quem prophetae esse
 venturum praedixerant, hic in Deo manet, et Deus in
 eo. Novit enim veritatem, et amplectitur caritatem.
 Non agnoscit caritatem Dei erga se, qui eam non ex-
 primit in proximo. Nos autem et experimento cogno-¹⁶
 vimus, et animo credimus, et ore confitemur, et fa-
 ctis exprimimus dilectionem, quam Deus exhibuit no-
 bis. Superest, ut in eo, quod coeptum est, persevere-
 mus, neque committamus, ut et Deus divellatur a no-
 bis, et nos a Deo distrahamur. Deus, ut ante dixi,
 caritas est. Proinde qui perseverat in caritate, in Deo
 perseverat, ac vicissim Deus in illo, manente nexu mu-
 tuo spiritus divini. An vultis et aliud argumentum vo-¹⁷
 bis dari, quo deprehendatis, an perfecta caritas Dei fit
 in vobis? Si nobis bene conscii sumus, nec formidemus
 illum iudicii diem, quo separabuntur a Christo, qui
 Christum non sunt imitati. Hi tremunt, quum audi-
 ent horrendam illam vocem: *Discedite a me.* Nos au-
 tem cum fiducia diem illum expectamus, videlicet nobis
 conscii, quod quemadmodum ille versatus est in mundo,
 ita et nos sumus in mundo. Ille nihil contraxit labis e mun-
 do, sed eum purgavit a suis sordibus, et ad suam, quod in
 ipso fuit, pertraxit puritatem. Sic et nos pro viribus adeo
 non miscemur mundo, ut illum magis evangelica doctrina,
 vitaeque castis exemplis ad Christum pelliceamus. Iu-
 dicii divini metus ex mala conscientia nascitur. Timor¹⁸
 igitur non congruit caritati. Nam caritas fiduciam
 addit, quae si perfecta sit, propellet ex animo prorsus
 omnem formidinem. Gaudet autem, quoties ille iu-
 dicii dies in mentem venit, primum optime sentiens
 de bono Deo, et sibi bene conscia. Caritas gaudium
 adfert, metus cruciatum. Porro qui timet, hoc ipso
 declarat, se nondum perfectum esse in caritate. Quan-
 tum deest caritati, tantum accedit ad metum. Vere-
 tur enim, ne parum clementem erga se experiatur De-
 um iudicem, qui se parum exorabilem praebuerit pro

19ximo, Ille dies aperiet, quis hic vere dilexerit. — Nos diligimus Deum, nec mirum est, quum ille prior dilexerit nos. Neque enim nos illum amare possemus, nisi nos ad se traheret amore suo. Hoc ipsum igitur, 20 quod illum diligimus, illius beneficium est. Porro quod diligimus Deum, id testamur amando proximum, in quo vult ipse diligi. Si quis dixerit, diligo Deum, quum odio prosequatur fratrem suum, mendax est. Etenim quum impii quoque, quorum plerique Deum adeo non amant, ut nec esse credant, tamen affectu quodam amplectuntur proximum, vel quia cognatus est, aut affinis, vel quia notus ac familiaris, vel quia homo denique videt hominem esse, quemadmodum et animantia suum quaeque genus amant instinctu naturae: Quomodo Deum diliger, quem non vidit unquam, quum oderit proximum, quem videt? Deinde qui consentaneum est, eum diligere Deum, qui praecepta Dei negligit? Si quis clamat, amo Caesarem, contemnens interim edicta Caesaris, 21 an inventurus est, qui credat? Nos ab imperatore nostro praecipuum hoc habemus edictum, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum, sive bonus sit, sive malus. Si bonus est, amet in eo Christum, si malus, in hoc amet, ut convertatur ad Christum.

CAPUT V.

1 **Q**uisquis credit Iesum esse Christum, hoc est, illum, unde oporteat omnia salutis nostrae praesidia petere, idque credit ex animo, is ex Deo natus est, iamque adscitus in numerum filiorum Dei. Non potest autem non amare, qui filius est. Porro quisquis ex animo diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo, nimirum fratrem suum, qui cum habet patrem communem, 2 Hoc argumento deprehendimus,

quod vere diligimus filios Dei, si prius ex animo diligimus ipsum Deum. Nihil enim vere diligitur, nisi quod illius causa diligitur. Porro quod Deum diligamus, ita liquebit, si servemus illius praecepta, et servemus alacres ac lubentes, nec enim alioqui gravia sunt illius iussa. Quid enim grave amanti? Quid grave ad talia properanti praemia? Terribiles malorum species obiicit mundus, paupertatem, exilium, infamiam, carceres, flagra, mortes. Ingens est pugna, sed parata victoria. Quidquid enim ex Deo natum est, vincit mundum. Quibus autem praesidiis vincit mundum? Num opibus? Num copiis? Num machinis bellicis? Num eruditione mundana? Nequaquam, sola fiducia qua se totos committunt propugnatori Deo, vincunt mundum quantumvis saevientem. Eripiuntur opes, sed quid obiicit fides? Habes thesaurum in coelo. Eiicaris in exilium, sed exspectat tuum municipem patria coelestis. Admoventur corpori cruciatus, sed his emuntur aeterna gaudia. Intentatur mors, sed hanc sequetur immortalitas. Quis est igitur, qui vincit mundum? Non satrapes, non dives, non philosophus, non rex, sed is quisquis est, qui vere credit, quod Iesus est filius Dei. Crede quod ille pollicitus est, et nihil te movebit, quidquid intendarit mundus. Vicit ille prior mundum, et assequutus est immortalitatem. Venit in hunc mundum assumpto nostro mortali corpore, ut pro nobis vinceret, ut vincendi rationem ostenderet, ut praemiorum fidem faceret. Quibus autem praesidiis armatus venit ille? Per aquam venit et sanguinem Iesus Christus; per aquam, ut nos ablueret a peccatis; per sanguinem, ut nobis vitam conferret immortalem. Baptizari voluit immunis ab omni peccato, ut nobis largiretur innocentiam. Mori voluit in cruce, ut nobis aperiret viam ad immortalitatem. Non solum his duobus indiciis testatus est, sese fuisse Christum et servatorem mundi, quod baptismum accepit, ut homo no-

cens, quod mortuus est, ut homo scelerofus, quum
 unus omnium innoxius esset ab omni peccato, sed et
 spiritus apparens specie columbae de illo testatus est,
 quod is esset, quem pater dedisset servatorem mundi.
 Quoniam et spiritus veritas est, quemadmodum pater
 et filius, una est omnium veritas, quemadmodum una
 7 est omnium natura. Tres sunt enim in coelo, qui te-
 stimonium praebent Christo, pater, sermo et spiritus,
 pater, qui semel atque iterum voce coelitus emissa,
 palam testatus est, hunc esse filium suum egregie carum,
 in quo nihil offenderet; sermo, qui tot miraculis edi-
 tis, qui moriens ac resurgens declaravit se verum esse
 Christum, Deum pariter atque hominem, Dei et ho-
 minum conciliatorem; spiritus sanctus, qui in bap-
 tizati caput descendit, qui post resurrectionem delapsus
 est in discipulos. Atque horum trium summus est con-
 sensus, pater est auctor, filius nuntius, spiritus sugge-
 8 stor. Tria sunt item in terris, quae attestantur Chri-
 stum, spiritus humanus, quem posuit in cruce, aqua et
 sanguis, qui fluxit e latere mortui. Et hi tres testes
 consentiunt. Illi declarant Deum, hi testantur homi-
 9 nem fuisse. Testimonium perhibuit et Ioannes. Quod
 si testimonium hominum recipimus, aequum est, ut plus
 apud nos habeat ponderis testimonium Dei. Manife-
 stum est enim Dei patris testimonium: *Hic est filius
 meus dilectus, in eo complacitum est mihi, ipsum au-*
 10 *dite.* Quid dici potuit apertius aut plenius? Qui ve-
 re credit filio Dei Iesu Christo, et sic omnia vitae prae-
 fidia in illo collocavit, ut huius promissis fretus con-
 temnat omnia, quae mundus hic ostendet vel amabilia,
 vel terrifica, testimonium habet in seipso, ac testimoni-
 um perhibet filio Dei. Etenim dum afflatus spiritu
 Christi, mortes etiam illius amore contemnit, non le-
 ve testimonium edit apud homines, non esse vana, quae
 Christus docuit ac promisit. Qui non credit Deo, sed
 fidit mundo, hic, quod quidem in ipso est, Deum facit

facit mendacem, qui felicitatem promisit iis, qui filio suo Iesu Christo auscultarent, quum is a mundo petendam felicitatem ipsa vita doceat, et huius vitae commodis sic adhaereat, quasi nihil hominis superfit a morte corporis. Pater clamat, *ipsum audite*. Et huius qui non credit vita dicit, mundum audite. Etenim quum filius orasset patrem, ut qui sibi credidissent, aut credituri essent, vitam haberent aeternam, audita est paterna vox, veluti tubae sono testans, preces illius fore ratas. Dedit itaque nobis vitam aeternam pater, **11** commonstrans a quo foret ea petenda, nimirum a filio ipsius Iesu Christo. Huius doctrinam quisquis ample- **12** ditur, huius exemplum quisquis imitatur, huius promissis qui fidit, hic et filium possidet, et vitam habet, cuius arrhabonem interim tenet, spiritum Dei, cuius fiducia Deum non veretur appellare patrem. Qui a filio est alienus, is et a vita est alienus. Haec ideo tot **13** verbis repeto vobis et inculco, ne quis vobis diversum persuadeat. Sed certum atque indubitatum habeatis, verum esse quod credidistis, vobis esse paratam vitam aeternam per Iesum Christum, cuius estis adscripti cohaeredes. Ius et arrham iam tenetis, rem suo tempore possessuri. Itaque qui creditis filio Dei, constanter credite, eique in dies magis ac magis fidite. Non faller in promissis aeternae vitae, qui non deest vobis etiam in hac vita. Siquidem hanc fiduciam praebet vobis spi- **4** ritus Christi, ut quidquid a patre petieritis in nomine filii, impetretis, si modo petatis iuxta voluntatem illius, hoc est, si tales accesseritis ad orandum, quales ille voluit accedere, nimirum puros ab omni odio fraterno. Nihil enim impetrat a Deo, a quo proximus non impetrat veniam delicti, si ea petieritis, quae conducunt ad vitam coelestem, quae faciunt ad gloriam Christi. Alioqui nos plerumque nescimus, quid po- **15** stulandum sit a Deo, ac pro salutaribus saepe noxia petimus, nisi Christi spiritus nobis suggerat, quid ex-

pediat petere. Sed hunc ad modum quoties petimus, certi sumus, quod Deus audit vota nostra, certi sumus, illum largiturum nobis quidquid petierimus. Sic ille pollicitus est nobis, et potest praestare quidquid pollicetur, et vult quidquid nobis est salutiferum. Neque solum augebit in nobis sua bona, subinde sollicitatus nostris precibus, verum etiam condonabit nobis quotidiana delicta, sine quibus imbecillitas humanae naturae vix potest durare diu. ¹⁶ Ac non tantum condonabit sua cuique commissa, si veniam petierit, verum etiam audiet fratrem pro fratris delictis precantem, modo peccatum sit huiusmodi, ut non prorsus extinguat fraternam caritatem, etiamsi nonnihil obnubilet. Est enim peccatum, quod non possit imbecillitati imputari, neque levibus paratque sanari remediis, veluti quum quis destinata malitia persequitur sodalitatem christianam, quum ipse sit Christum professus, et religionis praetextu subvertere nititur religionem. Huius deplorata perversitas non meretur piorum hominum intercessionem, et tamen pro his etiam orat perfecta caritas, optans etiam illa, quae fieri non possunt. Pro satana nullus orat, quod sciens per invidentiam oppugnat eos, quibus bene vult Deus. Fortassis nec pro his orandum, qui in huius affectum transierunt, ac vitandi sunt potius, ne quid laedant, quam precibus sublevandi, nisi spem praebeant resipiscentiae. Talis morbus validioribus eget remediis, ac maior est, quam ut quotidianis precibus tollatur, quibus delentur admissa leviora, quae committit infirmitas, non quae designat perversitas. ¹⁷ Quidquid recedit a summa iustitia, peccatum est, sed peccatorum multa sunt discrimina. Et est admissum aliquod, quod etiamsi minuat ac vitiet innocentiam, non tamen extinguit prorsus christianam caritatem, veluti quum per occasionem effutimus in amicum, quod mox poenitet effutisse, quum ira subita verbum extorsit, quod mox optemus revocari posse,

quum capti cibi potusve dulcedine, paulum aliquid sumimus ultra naturae necessitatem. Ad haec ignoscenda facilis est Deus, si mutuis precibus interpelletur. Ad eiusmodi lapsus filiorum plerumque connivent et parentes propitii, qui graviora commissa non ferrent. Quamquam nulla est culpa tam levis, ut sit negligenda. Malum ac fugiendum est piis, quidquid peccatum est, ac neglectum paulatim pertrahit ad mortem, Sed ut his levioribus, quae vix ab hominibus vitari possunt, statim est adhibendum remedium: Ita Deus avertat, ut qui semel abdicarit mundum, seque Deo dicarit, revolvatur in capitale crimen aliquod. Per evangelicam professionem efficimur filii Dei, ac membra Christi. Neque convenit, ut filii tantopere dissident a patre, et a capite membra. Proinde qui penitus intelligit se natum ex Deo, cavet a flagitiis magis, quam a morte ipsa, servatque seipsum, ne quid habeat commercii cum illo domino malo, cui prius servierat una cum mundo. Quemadmodum Christus semel mortuus revixit, et revixit nunquam postea moriturus: Ita qui semel per baptismum mortuus est mundo, et ad vitae novitatem resurrexit cum Christo, non decet iterare, propter quod Christo sit iterum moriendum. Sibi metuant a mundo, qui non sunt vere renati ex Deo, qui non totis animi medullis receperunt fermen evangelicae doctrinae. Nos scimus, quod vere sumus ex Deo, quos nec mala, nec bona huius mundi separant a Christo. Mundus totus in malo constitutus est. Quocumque te vertas, offerunt sese, quae nos avertant ab innocentia vitae. Sed ab huius incantamentis semel liberavit nos filius Dei, qui hac de causa venit in mundum, ut nos eximeret a contagio mundi. Is dispulit caliginem ignorantiae prioris, ac dedit intellectum illustratum luce evangelica, ut cognoscere-mus verum illum Deum, et omnis iustitiae largitorem, cui uni nihil fuit commercii cum mundo, et nos su-

18

19

20

mus in illo vero, qui sincero pectore doctrinam illius ac promissa sequimur, quam diu sumus in filio eius Iesu Christo, quem hac de causa misit in mundum. Hic est verus Deus, qui solus est colendus, et vita aeterna, quae sola est expetenda. Filioli, si vere novistis verum Deum, cavete a falsis diis, et simulachris inanibus, quae colit mundus. Idolum colit, cui nummus Deus est. Idolum colit, cui Deus venter est. Idolum colit, qui ob mundanos honores Dei praecepta negligit. Multa sunt huiusmodi simulachrorum genera. Vos ab omnibus cavete, si manere vultis in cultu veri Dei. Quod meum votum faxit ratum is, cuius beneficio liberati sumus ab erroribus pristinis.

PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM IOANNIS PRIMAM

FINIS.

IN
 EPISTOLAM IOANNIS
 SECUNDAM
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

Senior Ioannes scribo dominae electae, simulque fi- 1
 liis illius, quos ego sincere diligo, nec id facio solus,
 sed omnes mecum, qui cognoverunt veritatem evange- 2
 licam, nec ob aliud diligunt, nisi quod intelligunt
 evangelicae professionis sinceritatem, quam sequimur,
 manere in vobis, ac mansuram in aeternum. Gratia, 3
 misericordia et pax semper vobis augeatur a Deo patre,
 ac domino Iesu Christo, perseverantibus in veritate
 doctrinae evangelicae, ac mutua caritate. Vehemen- 4
 ter gavissus sum, quod compererim liberos tuos, ma-
 tris pietatem imitantes, perseverare in veritate doctri-
 nae evangelicae, nec auscultare falsis doctoribus, qui
 conantur multos ab hac avertere, quum pater hoc no-
 bis praeceperit, ut doctrinae filii sui audientes essemus,
 et ab illius vestigiis non recederemus. Itaque iam non 5
 est opus, domina, ut novis praeceptis instruam pieta-
 tem tuam, tantum in eo perseveremus, quod ab ini-
 tio traditum est, ut nos mutuo vereque christiano amo-
 re prosequamur. Conciliet autem hanc benevolentiam 6
 inter nos piae vitae consensus ac similitudo, ut concor-
 dibus studiis vivamus iuxta Dei praeceptum, qui nihil